AD QVODLIBETARIAM QVÆSTIO MEDICA MATVTINIS DISPVTATIONIBVS EXAMINANDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE LVNÆ XXIII. MENSIS DECEMBRIS, MAGISTRO SIMONE LE TELLIER DOCTORE MEDICO REGIO, MODERATORE.

An Arthritidi venæ ſectio purgationi præferenda?

VT ab excrementorum vacuatione maturâ, & idoneâ corporis perſpiratione ſanitas conſeruatur, ita eorum immoderatio naturæ negotium faceſſit: quô fit, vt ipſa laceſſita, humores copiâ luxuriantes, hæmorrhoïdibus, menſtruis & occultâ per cutim vacuatione, opportunè deponat; qualitate verò noxios per ſibi commodas ſedes hæmorrhagiâ, dyſenteriâ, diarrhœâ, vomitu & vrinis conuenienter expurgari ſinat: reſtitantes autem naturâ ſegniore à partibus robuſtioribus protruſi imbecillas iure ſeruitutis opprimunt. Ex his articuli tanquam cæteris imbecilliores ſæpius & grauiùs vexantur, cùm onus & errorem omnium ferè partium immeritò ſuſcipiunt; hinc maſſâ ſanguinis coinquinatâ per tubulos labes in articulos deponitur, & fit arthritis atrox ſymptoma.

OMNIVM articulorum affectus eſt, licèt eos ſimul non occupet: cuius differentiæ tot ſunt quot articuli, quarum tres dumtaxàt nomina habuêre, iſchias, podagra, chiragra, cæteris nomen generis retinentibus: itaut ſingulæ nomen aſſumant eius articuli quem laceſſunt. Hoc malum interdum repentè irruit in omnes partes, & rheumatiſmum ementitur, vt plurimùm verò clauculùm fluit, & malè exercet, nec inflammatione ſolâ, dolore aceabiſſimo, ſed articulorum repletione, diſtentione ligamenti, compreſſione nerui & tendinis tentat: raro congeritur diſtendens humor, frequentiùs non tantùm à cerebro, ſed & ab hepate calidiore decumbit in artus: quare à fonte mali labes eſt exhaurienda.

QVI Veneri & Baccho indulgent, eorum progeniem arthritidem ſuſcipiunt, quare hac eunuchi, & pueri rariſſimè tentantur. Mulieres, etſi menſtruis expurgentur, fiunt arthriticæ, ſi virorum æquent prauum viuendi modum, aut vitium ſit hæreditarium: at hæmorrhoïdibus, vel menſtruis ſuppreſſis fit tunc dirus hoſtis. Multi morbi arthritide terminantur, materiâ à centro ad circumferentiam ablegatâ: quare arthritici vulgò longæui creduntur, ſed fato ſæpe ſiniſtro, nam ſi conſueta ſupprimatur, clàm iugulum petit, & morborum ilias naſcitur: fit enim ſæpe vt ad interiora malâ criſi ſuperuacanea deponantur: vnde ab arthritide non raro colicus dolor, catarrhus, pleuritis & dyſenteria, quibus duobus non ſemper neceſſaria venæ ſectio.

IN cauſâ ſcrutandâ hæc intuenda, humor fluens, fixus, pars mittens, & ſuſcipiens: non tantùm pituitoſus, ſed quiuis à naturâ irritatâ protruſus materiam huic morbo ſubſternit. Vere magis & autumno mouetur, & æſtate ſi prehendat, atrocior, ſin hyeme, longior eſſe ſolet. Fluxio ab externo capite per corporis ſumma ſub cute ſolùm non fit, ſed ex intimo corpore etiam articulos inuadit, quos huic morbo admittendo obnoxios magnoperè reddit imbecillitas, ſiue ea hæreditaria ſit, ſiue aduentitia; illa difficiliùs ſupprimitur, hæc, ſi congeſtione longâ facta ſit nodoſa, immedicabilis: melius eſt adeſſe tumorem excluſâ in partes carnoſas, quam incluſâ in articulo cauſâ morbificâ.

ADVERSVS huius morbi peruicaciam pertinaces nos eſſe opportet in venientem auertendum, & natum euertendum, ídque clyſmatis, largâ ſanguinis miſſione, purgatione blandâ. Vrgente dolore anodynis res agenda, quorum alia frigore ſuo ſenſum hebetant, eius generis opium eſſe creditur, alia humiditate ſuâ & tepore acrioris doloris vim retundunt: hâc de cauſâ multi balnea egelida & fotus rectè præſcribunt, alij cataplaſmata ex lacte vaccino, & micâ panis, ſed hæc abuſu potiùs quàm vſu comprobato: poteſt meliùs eadem cum hydromelite, oxycrato & ſale imbui. Multis & alijs roborandi articuli. Ex omnibus ijs fidendum quæ cauſam funditùs tollunt, ſiue ea è capite, ſiue ex intimis ſecedat partibus: ac quia frequentiùs hepar calidius eſt in vitio, nec deturbari è cerebro, ſi quæ ſit, ſine ſummâ humorum agitatione poteſt, concludendum ita venit.

Ergo Arthritidi venæ ſectio purgationi præferenda.

Aſſerebat Lutetiæ IOANNES MAVNOIR Romorantinus, A. R. S. M. DC. XIII.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Ioannes Akakia.	*M. Philbertus Guibert.*	*M. Philippus Harduinus de S. Iacques.*
M. Gaſpardus Brayer.	*M. Ioannes Pietre.*	*M. Nicolaus Marchand.*
M. Nicolaus Henault.	*M. Ioannes Couſin.*	*M. Franciſcus du Port.*